



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 82. Exercitus a Galliarum Rege Mediolanum missus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

pabat, ast & illa die vigesima secunda Martii deditioe recepta est, præfidiariis inde excedere iussis, arx tamen constanter Gallorum partibus adhæsit, quam Ludovicus Sfortia arcta, qua valuit, obfidione urgebat, ea tamen ipsa postmodum Galliarum Regi Mediolanensem Ducatum asseruit, ac conservavit.

Sæcul. XV.
A. G. 1500.

§. LXXXII.

Exercitus a Galliarum Rege Mediolanum missus.

Interea Maximilianus Imperator validum contrahebat exercitum, ut sese Ludovici Regis progressibus opponeret. Haud segnior quoque pro parte sua Galliarum Rex adversus Cæsarem arma parabat, jamque in Campaniam pergere cæperat, cum inopino nuncium accipit, quod Maximilianus Imperator haud amplius copias conduceret, ac Mediolani Dux, etsi nullius auxilio suffultus esset propriis armis totum recuperasset Ducatum, excepta Novarensi arce, quæ sola adhuc dum Gallorum imperio parebat. Funesta hæc Gallicarum rerum vicissitudo potissimam partem ex continuis, quæ Trivultium inter & ceteros Gallici exercitus Præfectos fervebant, diffidiis nascabatur; quapropter Rex in eo totus erat, ut probatæ fidei Virum seligeret, cui

Sæcul. XV.

A.C. 1500.

cui supremum belli imperium deferret. Sua quidem obsequia Ambasiæ Cardinalis offert; verum cum ipse militaris scientiæ expertus esset, ei pro summa rerum adiungitur Ludovicus Trimollius. Ergo per singulas Provincias dividuntur Gallorum copiæ, simulque omnes summa solertia Delphinatum versus contendunt, jamque die sexta Aprilis ductore Divionensi Præfecto decem Helvetiorum, & sex peditum Gallorum millia præter mille quingentos cataphractos unacum suis sagittarils equo vectis Montarensi urbi appropinquant. Præibant Cardinalis, & Trimollius, qui primo adventus die Trivultium non modo cum Ligniacensi, sed cum ipso etiam Albinio jurgia foventem experiebantur.

§. LXXXIII.

Seditio Helvetiorum peditum contra Ducem.

Ceterum Mediolanensium Dux Gallorum accessum, ac numerum edoctus, tota armorum vi Novarrensis arcis, cui Bayardus præerat, obsidionem urgere cæpit. Ergo Cardinalis de Ambasia & Trimollius quantocius exercitum admovent, laboranti arci opem laturo; ast irritus plane fuisset eorum conatus, nisi eo forte die sic casus consilium adjuvisset.